1605/27.

EPISTOLA
AD AMICUM
FAMILIARIS.

Muſis amicus triſtitiam et metus
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis.——————

Horat. Od. 26. Lib. 1.

LONDINI:

Apud T. Cooper, in vico vulgo dicto
Pater-Noſter-Row; et *Oxoniæ*, apud *Jacobum*
Fletcher. A. D. 1740-1.

BODLEIAN LIBRARY
1 FEB 1960
BODLEIAN LIBRARY
CANCELLED

BRITISH MUSEUM
31 MAR 67

LECTORI.

S.

OMnium, quot ſunt mortalium, Poetæ, credo, maximè ſunt infelices. Quippe inter Muſas ſemper vivere ſibi videntur; et tamen ſæpiſſime contemnuntur, tanquam opera ſua divina ne piſtorum quidem officinis digna eſſent. Permulti tales ſunt noſtris temporibus. Hujus ſi nomen quæris Bavius eſt, aiunt. Si, quid agat; Verſus facit. Si, unde ſit; Vereor ne non ex Parnaſſo, niſi cubiculum ejus quod excelſum putà Anglicè ſonat Garret, *id credas eſſe Parnaſſum. Paucis, in hoc genere nulla eſt mediocritas. Sive bonis ſive malis miſera eſt ſors: et aut contemptui aut invidiæ omnes ſumus obnoxii.*

Ut liberè de me dicam, ſum ex iis, fateor, qui neſcio quo furore abrepti ſcribunt. Quibus ominibus, hæc teſtentur. Utcunque jacta eſt alea, ut vides; et, quod reſtat, leves meos labores boni conſulas. Benè Vale.

BRITISH MUSEUM
31 MAR 67

EPISTOLA

AD

AMICUM.

I.

DUM prius cunctis mihi chare, Juli,
Charior nunquam, licèt hinc remotus,
Te meæ fido hoc animæ libenter
Pignore dono,

II.

Quàm repentino properantis horæ
Fallimur curſu! rapit ecce pennas
Invidum Tempus! rapit; et videntur
Currere ſec'la.

III.

Tu tuæ dulcis Patriæ ſalutis
Anxiè vivens ſtudioſus, expers
Otii, credes Lycidam vacantem
Pangere verſus?

IV.

Sobrius ah! neſcis vaga quàm voluptas
Me diu, Juli, rapit impotentem;
Virginum cantus hilariſque grata
Munera Bacchi.

V.

Tutior vitas oculos nitentis
Deliæ. Macti color atque crines---
Heu! quot indignè gemuere veſtris
Pectora flammis!

BRITISH MUSEUM 91 MAR 67

VI.

Millia hanc circa Venerem ſagittæ
Excubant, certæ penetrare corda:
Gentis Hiſpanæ minùs eſt tremenda
Tota juventus.

VII.

Sive te contra Lodoïcus ipſe
Impiger Gallos animaret hoſtes,
Ocyùs victrix foret Illa, cunctis
Fortior armis.

VIII.

Vicit Alcidem, ſuper aſtra notum
Virginis fallax Lydiæ venuſtas;
Dum videns, riſu malè temperato,
Regia Juno,

IIX.

‘ Hæc priùs Parcæ cecinere fata;
‘ Fulminent circum caput hoc pericla
‘ Semper, et ſemper nova monſtra ſurgant;
‘ Omnia vincet.

X.

‘ Te, Jovis magni ſoboles, cavendum,
‘ Te manet vulnus levioris ignis:
‘ Nec vetus robur, neq; fida bello
‘ Dextra valebit.

XI.

Hìc amor ſervat ſua caſtra, Juli;
Et regit totum Lycidam Cupido:
Te rapit Mavors, rapit invidendo
Gloria curru.

XII.

O tibi ſi Dii requiem laborum,
Et mihi dulcem referant ſodalem,
Vita bis felix erit, et placebunt
Bis mea rura:

XIII.

Seu ſub umbroſâ Canis æſtuantis
Otior vitans platano furorem,
Sive jucundos recitat proterva
Phyllis amores.

XIV.

Vivitur, Juli: redeunte Phæbo,
Lætus interſum ſociis amicis;
Cæſari libo calathum, Deiſq;
Vota profundens,

XV.

Sit, precor, ſemper pietas honori,
Sint dies fauſti populo Britanno,
Floreat virtus, redeatque victo
Vernon ab orbe.

FINIS.

XIV.

Vivitur, Juli: redeunte Phœbo,
Lætus interſum ſociis amicis;
Cæſari libo calathum, Deiſq;
Vota profundens,

XV.

Sit, precor, ſemper pietas honori,
Sint dies fauſti populo Britanno,
Floreat virtus, [illegible]atque victo
Vernon ab orbe.

F I N I S.

BRITISH MUSEUM CANCELLED

BRITISH MUSEUM MAR 67